

A. Ω,

THESES NONNULLÆ,

*Super*

# ELOQUENTIA,

VENIA AMPLISSIMI CONSESSUS  
Philosophici Aboënsis;

*Sub*

*MODERAMINE*

# DN. TORST. RUDEEN,

Poësios Profess. Publici,  
Exhibitæ

â

S:æ R:æ MAJESTATIS  
Alumño

# JONA COLLIN,

*Smolando,*

In superiori Musarum Palladio  
horis convetis,

die 7. Martii Anno, supra millesimum  
Et septingentesimum, sexto.

---

Exc. Jo. WAL.

VIRIS  
Amplissimo & Consultissimo, Plur. Re-  
verendis ac Clarissimis,

DN. JONÆ NEMAN/

Trium Territoriorum Judici æquis-  
simo, Avunculo meo Benignis-  
simo, Parentis honore semper pro-  
sequendo.

DN. M. BENEDICTO LIT-  
TORIN, Pastor in Liunga &  
Hambneda dignissimo, ut Fautori  
optimo, ita humiliter colendo.

DN. M. CAROLO WESMANN/  
Pastori in Rydziby & Tutarh meritissi-  
mo, Promotori certissimo, perpetim  
venerando.

DN. JACOBO HÖGBER/  
Verbi Divini Ministro ibidem fidelis-  
simo, Fautori multum honorando.

VOBIS MÆCENATIBUS & PATRONIS  
Summis,

Quod exilem hunc ingenii fœtum  
Sacrum volui,  
Ne me existimetis  
innumera vestra  
in me

& planè Paterna Beneficia  
Digne præsumisse prædicare, ne-  
dum pensare:

Quod nostrarum non est virium;  
Utpote,  
Qvod vel Ciceronis fatigaret Elo-  
quentiam.

Grati tamen animi devotæq; memoriæ  
hoc exstare volui monumentum,  
Ut ut VESTRIS meritis & meis votis  
minus.

Id placido vos admissuros vultu,  
Solita VESTRA pollicetur Humanitas.  
quæ,

ut tenuitati etiam ignoscat,  
Oro & obtestor, futurus,  
donec Parcæ pepercerint,

AMPLISS: VESTRORUM NOMINUM

Jndefessus Cultor.

LECTURIS SALUTEM!

Festinatissima hæc est opella, quam in  
lucem emittere nec volui nec debui Te,  
Benigne Lector, non exorato veniam.  
Scilicet haud ita pridem hic delatum val-  
de moverunt Lipsii hec verba: Nihil qui a-  
gunt, mortui ambulant inter vivos. Ne ex  
judicio tanti viri dicerer mortuus, ne de nul-  
la exstaret otii mei ratiō, decrevi vires ex-  
periri meas, & specimen Academicum qua-  
le demum cunque deponere. Tumultuarie  
igitur, & ut commodum fuit in itinere con-  
stituto, Thesin unam vel alteram adfero,  
cum pleniori argumenti alicujus elaborationi  
non detur vacare. nec hoc, quod nobili huic  
materiae me parem sentiam censeamve; sed,  
quod in magnis etiam voluisse sat sit.  
Quæ ergo precipiti festinatione congeſſi, si  
te B. L. faventem experta fuerint inter-  
pretem, Tu quidem à me salvebis, & ego  
damnatus voti audiam. Vale!

LA.



LABORI FAVEAT JEHOVAH!

THES. I.

Eloquentia DEI donum est, ejusque studium  
naturale & honestum.

**S**ummus rerum Fabricator,  
præter ea, quibus ad ma-  
nifestandam gloriam suam  
& omnipotentiam, creatu-  
ras ornatas voluit, peculi-  
are *τηχμήνειον* tantum non singulis adje-  
cit, ut esset, unde ab invicem dignosce-  
rentur. Pardo dedit maculas, equo hin-  
nitum, leoni rugitum, & sic in cæteris,  
homini autem microcosmo, qui est qua-  
si totius structuræ compendium, præ-  
ter hoc discerniculum, quod Poëta O-  
vidius observavit inter hominem esse  
ac bestiam, cum dicit:

*Pleraque cum spectente animalia cetera terram;  
Os homini sublime dedit, cœlumque tueri  
Fusit & erectos ad sidera tollere vulnus :*

A

Ad-

Adhuc nobilius quoddam Divinitatis simulacrum, quod τὸ λόγον nominem venire solet, indidit. Λόγος hic, in scholis dividi solet in ἀνθρώπου καὶ φύσει, iste, latinis audit ratio, hic vero oratio, cuius culturam, tantopere naturā nobis commendatam credidit antiquitas, ut signanter humanitatis studium eandem appellaverit: quod ex omnibus animantibus, uni homini, hujus scientiæ cura & disciplina data sit, teste A. Gellio noct: Att: lib. 13. cap. 16. cuius hæc sunt verba: *Qui verba latina fecerunt, quibus probe usi sunt, humanitatem non id esse voluerunt, quod vulgus existimat, quodque à græcis φιλαρθροτά i. e. erga homines amor, dicitur. humanitatem appellant id proptermodum, quod παιδείαν graci, nos eruditionem institutionemque in bonas artes, dicimus, quas qui sinceriter cupiunt adpetuntque, hi sunt vel maximè humanissimi, hujus enim scientie cura & disciplina, ex universis animantibus uni homini data est, siccircoque humanitas appellata est.* Unde Cicero pro Flacco:

ad-

adiunt, inquit, Athenienses, unde humanitas  
 doctrina, religio, &c. ortae & in omnes partes  
 distributa putantur. Idem pro Archia Po-  
 eta dicit, liberales artes esse, quibus æ-  
 tas puerilis ad humanitatem solet in-  
 formari. Ut taceam Varroni Plinioque  
 humanitatem illo significatu usurpari.  
 & arguit Pasiphilus Buschius in Vall.  
 Hum. iplam naturam vel loco vel figu-  
 râ iplâ oris humani, nos quodammodo  
 admonuisse, impensius cætero corpore,  
 eam partem esse excolendam, quæ sic  
 animi vestibulum, orationis janua &  
 cogitationis comitium. Ut autem li-  
 queat, qualem hic Eloquentiam intelli-  
 gimus, sciendum est, illam triplicem es-  
 se: divinam, heroicam & humanam, ceu  
 non eruditè minus quam vere distinxit  
 Causinus. Divina est DEI præpotentis  
 incitatâ spiritu, qui solas infantes efficit  
 Oratores, non illa verborum flosculis de-  
 licatis auribus lenocinatur, sed intimis  
 sensibus, cælesti quâdam vi lese insi-  
 nuans, una est quæ reges, civitates,  
 provincias, orbem denique Christi do-

Etrinæ subjicit. Hæc, Molen admirabilem reddidit consummatissimis Ethnicis Rhetoribus, inter quos Longinus, qui inde *sublimi* testatur, Judæorum illum legislatorem solum esse, qui numinis virtutem pro dignitate cognovit & verbis explicavit. Propter hanc Paulum Ἰωάννην Nicetas appellat, & Mercurium eundem vocavere Lystrenses. in cuius vel unâ sententiâ plus virtutis divinæ & eloquentiæ elucet, quam in vaftis græculorum panegyricis. verum, ut infudentis DEI donum est, sic minimè ad artis regulas est revocanda. Altera heroica est eorum, qui supra commune dicendi genus eloquentes, aliquid etiam divini sapere videntur: maximam tamen partem, humanis præfidiis debetur. Tertia (ut Causini verbis utar) humana quidem illa est, sed virilis, sapiens, excelsa, plena virium, succi & venustatis, multumque diversa à loquacitate, quâ multi sibi placent, sed quæ vanitatis & futilem sæpe deliramentorum plena est. Humana hæc, & quadam cenus etiam

etiam altera illa heroica sunt, quas hoc  
 loco præcipue commendamus, qvorum  
 in foro, in rep. in scholis, in sacris eti-  
 am concionibus, vim & efficaciam, non  
 raro admiramur. de hac veré Seneca:  
*magna & varia res est eloquentia, nec ulli sic*  
*se indulxit ut tota contingeret. Causa est quod*  
*consumatum oratorem nihil oporteat ne-*  
*scire, nulliusque studii esse prorsus expertem.*  
 Quo intuitu, Petronius in satyrico dixit:  
 neminem hanc feliciter tentaturum, nisi  
 ingenti literarum flumine inundatum.  
 quia vero acquirendæ perfectæ rerum  
 omnium notitiæ, neque ætas aut facul-  
 tates nostræ sufficiunt: sufficit ut quæ  
 scientiæ nobis maximi sunt usus, ac-  
 curaté & solidé, quæ minoris, medio-  
 criter, quæ exigui, leviter cognoscam-  
 us. Dixi me masculam & efficacem  
 intelligere; non ineptam illam garruli-  
 tam aut linguæ volubilitatem, quam  
 alii loquenriam dicunt, de quâ loquens  
 Marcus Antonius, à se disertos visos  
 fuisse multos ait, neminem vero Elo-  
 quentem: unde Vossius: qvod si mi-

nus fuerit disertum esse quam Eloquen-  
tem; illud quoque patet, eum, qui Sa-  
piens non est, disertum esse non posse,  
multoque minus, eum dici posse Elo-  
quentem, si κυρίως est loquendum: Sal-  
lustius Catilinæ satis loquentiæ, Sapien-  
tiæ parum tribuit, nos non fugit, quod  
Valerius Grammat: apud Gellium libr:  
1. cap. 15. probare nitatur, illo Sallustii  
loco legendum esse Eloquentiæ pro lo-  
quentiæ; sed quis non vider tenacissi-  
mo vinculo Eloquentiam & Sapientiam  
inter se debere cohærere, quod non es-  
set, si Valerii mens hic valeret. Plinius  
libr: 5. epist: 20. ait Julium Cæsarem di-  
cere solitum, aliud esse Eloquentiam a-  
liud loquentiam. Nam sicuti græcis  
εὐλαλίᾳ aliud importat quam λαλίᾳ, ita  
Romanis aliud est Eloquentia quam lo-  
quentia. Quare oratorem facit Eloquentia  
& Eloquentiam interjicitur, dicente  
Vossio. Huc facit quod ingeniosissimus  
Rhetor Quintilianus ait, ita differens:

non sola est agenda cura verborum, occurram  
enim, occurram necesse est, velut in vestibulo  
protinus apprehensuris hanc confessionem me-  
am: resistam iis, qui omissa rerum ( que ner-  
vi sunt in causis ) diligentia, quodam inani  
circa voces studio senescunt: idque faciunt  
gratiâ decoris; quod est in dicendo meâ qui-  
dem opinione pulcherrimum, sed cum sequitur,  
non affectatur. Hæc ipsa simili illustrat,  
Corpora sana & integri sanguinis & exerci-  
tatione firmata, ex iisdem his speciem acci-  
piunt, ex quibus vires; namque & colorata  
& adstricta, & lacertis expressa sunt: sed e-  
adem, si quis vulsa atque fucata muliebriter  
comat, fædissima sunt ipso formæ labore. Et  
cultus concessus atque magnificus addit homini-  
bus, ut græco versu testatum est, auctorita-  
tem: at muliebris & luxuriosus, non corpus  
exornat, sed detegit mentem. Similiter illa  
translucida & versicolor quorundam elocutio,  
res ipsas effaminat, qua illo verborum habitu  
vestiuntur. Sunt itaque Eloquentes, qui  
non tam ornatum affectant, quam eun-  
dem in proprietate querunt: propriam  
auctem locutionem esse dicimus, ubi  
maxi-

maxima est convenientia inter rem ipsam & modum prædicandi. Recte igitur cum eodem Quintiliano concludimus, verborum curam esse rerum solitudinem.

## THES: II.

*Omnem sexum etatem & conditionem ornat.*

**H**ic spatiostissimus sese aperit campus, per quem spatiari, omnesque Eloquentiæ ambitus inquirere, ac quam ubivis terrarum exserit potentiam, prædicare, labor foret Herculeus; nos temporis & tenuitatis nostræ memores, breviter conabimur nos expedire. Quid est quod tantopere miramur vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis, & Eloquentiam Ciceronis, aliosque etiam hac tempestate Catones, Cicerones ac Demosthenes, qui viri ac conlummati hoc studio præcipue inclauerunt? Viri inquam sunt & omnigenâ eruditione suffulti; at fœminas hac facultate excelluisse, id vero est quod magis miremur. Exempla, quantum mul-

mulierum Eloquentia valeat, nobis sup-  
peditant sacræ literæ non pauca, nec  
tamen lecturos, numerosa eorum recen-  
sione vel copiosa laudatione, morabi-  
mur: unum tantum vel alterum adru-  
lisse sat erit. Abigaëlem quis ignorat E-  
loquentia sua repressisse iram Davidis,  
qui exierat interfectorus Nabalem.  
Quantum ornatūs, laudis & utilitatis,  
ex Eloquentia sua tulit Piissima Judith  
civis est obvium: quomodo imprimis  
Optimatibus urbis, ad patienter expe-  
ctandum DEI auxilium, perswasit; dein  
ferocem Holofernī animum ita do-  
muit, ac tandem cepit, ut eam tali en-  
comio ornaret: sub cœlo, hac muliere  
prudentior, non invenitur alia, nec sa-  
pientior: Non possumus prætermittere  
specialissimum exemplum in Novo fœ-  
dere, mulierem illam Ethnicam Cana-  
næam, quæ Eloquentia sua victorem i-  
plum alias invictissimum vicit: com-  
milites victoris pro ea coram CHRISTO  
advocatos agebant, & causā cecidere;  
illa tamen ipsa fortiter iterum, quamvis

vice unâ & alterâ profligata Servatorem  
adgreditur, nec orare prius destitit,  
quam victoriam à victore, triumphum  
que ab eo, qui triumphum in potestate  
habet, reportavit. Juvenilis item Elo-  
quentiæ exempla, nobis sistit historia:  
sacra quidem in Daniele, & profana in  
Alcibiade, Augusto & aliis. Veteribus  
etiam in more fuisse legimus, quod, qui  
in axiomate aliquo erant constituti, in-  
ter alia familiæ ornamenta, pueros A-  
nagnostas habuerint, qui cænantibus  
semper acroama dicerent, ceu nos de  
Attico docet Cornelius Nepos, ubi ita:  
*in ea (familia) erant pueri literatissimi, ana-*  
*gnoste optimi. & paulo infra: nemo in con-*  
*vivio ejus aliud aeroama audivit, quam ana-*  
*gnosten: quod nos jucundissimum arbitramur:*  
Puerorum Eloquentiæ certe tanta inest  
vis, ut omnes se audientes in sui amo-  
rem trahat, ac præprimis eos pariter ac  
fœminas magis ornat, cum putentur a-  
liás tenuioris esse ingenii, & multarum  
rerum scientia ac cognitione plerunque  
destituantur.

## THES. III.

*Eloquentia cuicunque statui præsidio est; præcipius tamen ejus usus in Democracy.*

**N**on operosa nobis demonstratione opus futurum credimus, probaturis divinam hanc suadam, cuilibet statui esse præsidio, omnes tamen status sigillatim percurrere, brevitatis amantes, hoc loco supersedemus, cum sequentes etiam theses, nonnullam nobis ansam præbent de præcipuis loquendi; neque enim ullam vitæ humanæ partem, sui esse immunem patitur Eloquentia, quæ paces inter longissimè dissitas gentes componit, fœderaq; icit. amicitiæ etiam quid aliud stringentius esse poterit vinculum? hæc est quæ dissidentes facit maximè familiares: in Theatris, foro, curia, tribunali, causas agere, cathedram adscendere, populo verba facere, legationibus fungi, quis poterit nisi instructus Eloquentiâ? & ut rem verbo complectar, domi quin & foris sola regnat. Ejus tamen ulim, cur in Democracy,

præcipue commendandum putamus ;  
 hæc est causa, quod plebs, bestia, mul-  
 ticeps, insipiens , insolens, impotens,  
 sæva & impetuosa, præsertim ubi liber-  
 tate luxuriat, si sibi relinqueretur, fer-  
 retur in præcipitum. Tum vero Elo-  
 quentia necessaria est, quæ vi & artē  
 suâ ignaram doceat, insolentem domet,  
 impotentem enervet, sævam mulceat,  
 ejusque impetum refrænet. Qvod Or-  
 phei atque Amphionis fabulis indicasse  
 voluit antiquitas : quorum, hic fertur ci-  
 tharâ suâ, saxa advocasse in ædificandis  
 mænibus Thebanis : ille, lyrâ suâ movis-  
 se arbores & laxa, stitisse fluxum flu-  
 minum, ferasque ita edomuisse, ut im-  
 punè cum lupis coiverint oves. Scilicet  
 hæc Musica Eloquentia fuit, quæ saxeæ &  
 fera hominum corda suavitate sua in so-  
 cietates, mansuetudinem, & civilem vi-  
 tam coërcuit. ejus vim eleganter ex-  
 pressit Virgilius Ænei: I. v. 152. & seqq.  
 veluti magno in populo, quam sepe coorta est  
 sedisio, sevitque animis ignobile vulgus,

Famque faces & saxa volant: furor armis  
ministrat:

Tum pietate gravem, ac meritis, si forte virum  
quem

Conspexere, silene arrectis que auribus adstant:  
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Ubi, regit, pertinet ad intellectum, quem  
instruit eloquentia, mulcet, ad voluntatem, quam eadem inclinat. Nec alia est  
causa quod cum populari imperio, tam  
apud Athenienses quam Romanos Elo-  
quentia fere & floruisse & occidisse vi-  
deatur. Quantum laudis, de repub: me-  
ruere duo illa Eloquentiae lumina De-  
mosthenes & Cicero! Princeps ille  
Græcorum orator Demosthenes ingenii  
sui vi & linguae suadâ, pugnavit pro Græ-  
corum libertate, adversus Philippum,  
eâqve, laudem quam illi Boeclerus tribu-  
it, meruit: *Demosthenis consilium murus est  
Eloquentia telum, magnitudo animi & vigi-  
lantia propugnaculum.* En Ciceronem,  
quantæ saluti fuit urbi Qvirini ejus in-  
genium & facundia? hoc vel inde patet,  
qvod liberatâ per prudentem ejus Elo-

quentiam Româ, Patris patriæ meruerit  
nomen, de qvo Juvenalis Sat: 8.

*Quis Catilina, tuis natalibus atque Cethegi  
Inveniet quicquam sublimius? arma tamen vos  
Nocturna & flamas domibus templisque pa-  
rastis, & mox:*

*Sed vigilat consul, vexillaque vestra coercet  
Hic nodus Arpinas ignobilis & modo Roma  
Municipalis eques, galeatum ponit ubique  
Præsidium attonitis & in omnigente laborat  
Tantum igitur muros intra toga contulit illi  
Nominis & tituli, quantum non Leucade  
quantum*

*Bessaliae campis Octavius abstulit udo  
Cedibus assiduis gladio sed Roma parentem  
Roma Patrem patriæ Ciceronem libera dixit.  
Recte ergo Phocyllidis illud huic loco  
adjecimus!*

*Αγρες καὶ πόλιας σοφία καὶ νῆσοι κυβερνᾶ.*

#### THES. IV.

*Imperantibus tam belli quam pacis temporibus utilis.*

*Plato scitè non minus quam verè dicit:  
cum demum orbem terrarum beatum  
futu-*

futurum, si aut sapientes regnare aut Reges sapere capiissent. Hoc confirmat Joh: Mariana libr: 2. de Rege ac instit: cap: 8. *Quo pacto, inquit ferendum est, ut Reges, quorum vita nihil clarius aut illustrius esse debet, in quorum aula nil nisi purum & elegans visitur, iidem inculte & inordinate loquantur? an est ullus purpure nitor, auri & gemmarum splendor, cum Eloquentiae decore conferendus? quid enim esse potest oratione verbis splendidis & sententiarum luminibus instructâ elegantius?* At mox: Scimus multis Principibus salutarem Eloquentiam existisse, contrâ, infantiam non paucis exitio fuisse. Id antiqui significare voluerunt, Herculem Celicum, multitudinem ad se nemam trahere singentes, quibusdam catenis, quæ ex ipsius ore ad singulorum aures pertinenterent, hoc est orationis via & copia. Quid Johannem Castellæ Regem, eo nomine primum, vertenti fortunæ præbuit, & multis calamitatibus implicuit, nisi sermonis inopia, civibus magna ex parte abalienatis. Quid multis? Res ipsa loquitur quoquot fere Regum,

gum, Imperatorum & Ducum, tam antiquorum quam modernorum celebriores existunt, aut exstitere, suam illos famam non tam fortitudini quam facundiæ debere suæ.

## THES. V.

*Legatis necessaria est.*

Rupertus in dissertat: ad Valerium Max: libr: 8. cap. 9. hæc habet: Rurus legatorum eam esse præcipuam artem, ipso legati nomine judicarunt veteres cum eundem lenonem dicerent. Just: libr: 2. cap: 3. §. 8. Primum Scythis bellum indixit Vexoris Rex Ægyptius, missis primo lenonibus, qui hostibus parendi legem dicerent: leno enim & lenocinium nonnunquam etiam bonæ significationis verba sunt, & de notant sermonem flexanimâ oratione parentem, & artern conciliandi. Et sicut antea inculcavimus, Eloquentiam non consistere in abundantia verborum, ita heic etiam dicimus legatos à loquacitate abhorrire debere. A Lacedemoniis legatos Samnensium tale responsum tulisse cognovimus

mus: orationi vestræ non possumus respondere; prius enim initium oblivio cepit, quam finem audivimus. De Rege Gallorum Henrico quarto cognomento Magno fertur, quod quam primum quis verbosam coram eo orsus fuit orationem, statim vicarium vocavit, qui finem dictionis exspectaret, eo ostendens quam indecorus sit, coram Magnatibus prolixus sermo.

## THESES. VI.

*Abusus obnoxia.*

Quod Comicus alicubi dicit *nihil esse quin male narrando possit depravari*, verum esse intelligimus, cum Eloquentiam quamvis innoxiam, indignissimè tamen à multis non exiguae vel infimæ fortis hominibus, quam maximos pati abusus deprehendimus. Unde praeter suum meritum vapulare solet à multis, maximè propterea, quod qui aliquantulum in ea profecerunt, eam in refutandis bonis causis, & adstruendis, ac defendendis malè factis, cœperunt collocare, prout

C

Quin-

Quintilianus: mala multi probant per eam bona etiam improbant. Quot scelesti Eloquentiæ abusu pœnis eripiuntur, probi damnantur, consilia in pejus ducuntur, & seditiones non solum turbæque populares, sed bella etiam inexpiabilia excitantur? Quod tamen Eloquentiæ, ceu excellenti dono DEI non erit adtribuendum; notum namque est, virtus artificum non arti sed ipsis artificibus esse imputanda. Exempla quæ nunc adduci possent, sequenti reservamus thesi; tales enim homines merito salutantur improbissimi.

## THESES. VII.

*Nam etiam mali homines possunt tamen esse Eloquentes.*

Cum Cato dixit Eloquentem esse virum bonum dicendi peritum, hoc Herennius Senecio, prout apud Plinium legimus, Satyrice invertit dicens: Eloquentem esse virum malum dicendi imperitum. Ita etiam Raphaël Volterranus libr: 34. Ego, inquit, collatis veterum

ac novorum exemplis, queque legi, partem etiam vidi affirmare ausim, Eloquentes paucissimos viros bonos inveniri. Exemplis pravorum hominum & tamen Eloquentium pleni sunt Scriptores. Referamus quod Rupertus olim se leguisse ait de incolis Annandiae quae est Scotiae portiuncula: Ji, inquit, maximi sunt latrones & tanta quidem calliditate pollent, ut rarissime praedam sibi eripi sinant, nisi canum odoris equorum ductu, rectis semper vestigiis se insequentium, ab adversariis nonnunquam capiantur. Cæterum capti tanta pollent Eloquenta, verborumque suavissime fluentium lenociniis, ut & iudices simul ac adversarios, si non ad misericordiam, saltem in admirationem & commiserationem trahant. Ut nihil dicamus de Critia & Alcibiade, nihil item de Tiberio Graccho atque Cajo Carbone viris Eloquentibus, ac tamen civitati perniciosis. Dissentit Fabius aliquique qui dicunt: homines improbi eligunt deteriora, quod est insipientis, ac Eloquentia

est concinné loquens sapientia, eoque  
 Eloquentes sunt sapientes, ac proinde  
 semper reapse viri boni, ὅτι τὸν οὐφόρον ἀνθεύ-  
 ἀνθώ μάλιστα δέ τοφόν εἶναι, ut ait apud  
 Platonem Socrates. Verum faciles re-  
 movebimus hunc turbinem, ne navis  
 nostræ frangat compagem. Nam haud  
 aliter, atque in cæteris artibus, in Elo-  
 quentia quoque usu venit; In illis mul-  
 tots reperire est imprudentes, quā vitæ  
 gubernationem, qui tamen in arte sua  
 sunt πεπαιδευμένοι ac prudentissimi. Es-  
 sent, fateor, in hac nobilissima, & am-  
 plissima materia, infinita allatu digna,  
 quæ omnia per festinationem relinque-  
 re cogor, hæc autem, quæ festinanter  
 corrasī, si tibi, Lector Benevole, minus  
 apposité videntur prolata, festinatio-  
 nem penes te excusationem meritu-  
 ram, & spero & oro: nemo enim  
 est qui miretur festinantem  
 cespitare.

SIT SOLI IN COELIS GLORIA SUMMA  
 DEO!!!



Viro - Juveni  
Literis & moribus ornatissimo  
DN. JONÆ COLLIN,  
cum  
De  
STUDIIS HUMANITATIS  
Disputaret.

UT COLLE stans in florido  
Ad se COLUMBUS convocat  
Dulcique questu congregat  
Circumvolantes Præpetes;  
Sic COLLE stas Parnassidum  
COLLIN COLUMBO gratior  
Nomenque virtus vicerat,  
Subtiliter jam disputas  
Quid sit loqui quidue eloqui,  
Quid sit loquens quidque eloquens,  
Quid posse pure dicere  
Conducat & quēis competat.

Sic

Sic convocas & confluit  
Dicata pubes literis  
Captare quærens auribus  
Quid lingua profert eloquens.  
Tu perge felix sedulo,  
Et Scande Pindi pulpita,  
Sic cuncta cedent prospера  
Et summa tanges culmina.

*gratulabundus ad-  
plausit*

**ZONAS Tellman.**

